

videt et amat se; tamen ideo se amat, quia videt; non ideo se videt, quia se amat: «Palam certo est, ait Anselmus (1), non ideo se intelligere, quia se amat; sed ideo se amare, quia se intelligit.» Ergo de eodem actu simplici contradictoria intrinseca dicuntur.

Item: Verbum divinum procedit per intellectionem Patris, non per amorem: Spiritus S. producit per amorem, non per intellectionem: atqui intellectio et amor sunt realiter idem; ergo virtualiter distinguuntur.

33. Objic. 1.<sup>o</sup> Justitia et misericordia, amor et intellectio, et quidquid in Deo non opponitur relative, idem sunt et possunt ad invicem affirmari; ut justitia est misericordia, amor est intellectio, etc. Ergo non datur capacitas ad contradictoria intrinseca, sed, ad summum, ad extrinseca, et secundum rationem tantum.

Resp. Dist. *ant.* Sunt idem re et actu; conc. Virtualiter; nego. Deinde: possunt invicem praedicari; identice et substantive; conc. Tamquam immediate propria et adjective: nego.

34. Quod ut intelligatur, **Nota:** Dupliciter negatur, vel affirmatur, praedicatum de subjecto: substantive vel adjective; seu in abstracto vel in concreto; seu identice vel denominative. Negatur substantive, abstracte et identice, cum ipsa forma, significata per praedicatum, directe et in se negatur: ut, intellectio non est amor; paternitas non est communicatio cum filiatione. Negatur autem praedicatum adjective, in concreto, et denominative, quando forma non negatur in recto, sed tantum effectus formalis, seu adjacentia formae ut immediatae subjecto, et denominatio subjecti a forma: ut intellectus non amat, seu non est amans; paternitas non est communis, seu non communicatur filiationi.

Igitur: de virtualiter distinctis omnia praedicata aequè affirmantur vel negantur, substantive, in abstracto, identice; non vero, adjective, in concreto et denominative.

35. Objic. 2.<sup>o</sup> Si intellectio virtualiter distinguitur ab amore, processio per intellectionem (idem dicas de processione per amorem) non procedit a natura integra et completa: ergo terminus intellectionis seu Filius, et terminus amoris seu Sp. Sanctus, naturam habebunt limitatam, nec erunt Personae divinae. *Ant.* patet: quia intellectio et volitio constituunt naturam Dei, non autem altera solum.

Resp. nego *ant.* Ad probationem autem, dist. Intellectio et volitio constituunt naturam metaphysicam Dei; nego. Vide supra (2): Naturam physicam; Subd. Intellectio et volitio, sumptae pro facultate; conc. Sumptae pro ipso actu intelligendi et amandi; nego.

(1) *Monol.* c. 48.—(2) *Disq.* IV, *Thes.* XXIV, n. 139.

vel subd. identice et substantive; conc. adjective et denominative; nego. Unde pro signo priori ad intellectionem, qua est processio Verbi, ideoque et pro signo priori ad amorem, quo est processio Sp. Sancti, intelligitur natura divina ens omnino a se, plenum omni perfectione, et in hac eminenter omnia continens: inde et est intellectio infinite fecunda, et, per dirigentem intellectionem, amor quoque infinite fecundus.

36. Objic. 3.<sup>o</sup> Distinctio consistit in exclusione identitatis. Si ergo distinctio virtualis existit a parte rei, et non sola ratione, reapse in Dei natura non sunt omnia idem; ideoque incidimus in Scoti formalem distinctionem a parte rei.

Resp. Dist. *consequens.* Aliqua non sunt idem formaliter, seu actualiter; nego. Non sunt idem virtualiter; conc. *consequentiam.*

Effectus formalis et immediatus distinctionis realiter actualis est, quod unum non sit aliud, quod unum negetur de alio: hic effectus apud Deum non habet locum, nam vere in Deo intellectio est amor.

Effectus secundarius est, quod possint contradictoria de realiter distinctis affirmari; hoc evenit in distinctione virtuali; intellectio generat, amor non generat; quod foret vere contradictorium, nisi foret virtualis distinctio.

37. Objic. 4.<sup>o</sup> Licet non intercedat virtualis distinctio, non sunt contradictoriae propositiones illae, quae de intellectione et amore Dei formantur: ergo non requiritur distinctio virtualis. *Antecedens* probatur.

Illae propositiones fiunt, prout intellectio et amor subsunt nostris conceptibus; sed hoc modo revera non sunt quid unum et idem, sed objective differunt; ergo non est contradictio in illis propositionibus.

Resp. Nego *ant.* Ad probationem autem, dist. *maj.* Ita ut, quae affirmantur de intellectione et amore convenient eis, *ut sunt in se*, seu personaliter; conc. Ita ut, eis convenient ut sunt *in intellectu*, seu simpliciter; nego. Alias, ait D. Th. (1). «Dum dicimus, Deus est bonus, sensus esset, quod Deus sic intelligitur, non autem quod sit.»

II. **Dico II.** Non oriuntur processiones divinae ab intellectu et voluntate Dei, quatenus concipiuntur ut potentiae; sed quatenus sunt in actu secundo intelligendi et amandi.

38. 1.<sup>o</sup> Quia intellectus et voluntas in Deo sunt per se et ex es-

(1) *De Potent.* q. 6, a. 6.

sentia sua in actu: ergo processiones ab iisdem sunt, quatenus in actu secundo existunt.

2.º Processiones non sunt in Deo ex indigentia, sed potius ex summa et infinita fecunditate. Atqui non ita esset, nisi orirentur ab intellectu et voluntate ut in actu secundo existentibus; nam tunc constitueretur Deus per processiones intelligens et amans in actu secundo, iisque indigeret: ergo oriuntur processiones ab intellectu et voluntate prout in actu sunt.

39. Objic. 1.º Verbum mentis nostrae non ex actu, sed ex potentia procedit: ergo eadem analogia Verbum divinum debemus concipere.

Resp. negando *consequentiam* et paritatem. Quia nos per verbum mentis formaliter intelligimus, ideoque ex indigentia illud producimus: Deus autem non *ut* intelligat, sed *quia* intelligit, generat Verbum. Alias sequeretur absurdum quod notat Augustinus (1): «Ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio; nec sapientia »sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse, »quam genuit.»

Objic. 2.º Si per ipsum intelligendi actum (idem dicas de actu amandi) procedit Filius, tamquam per principium quo, post illum actum intelligendus erit alius actus, qui sit ipsa productio, seu actio, qua producitur Filius: jam vero, vel ista actio est intellectio, vel non; si primum dicas, prior intellectio redundat: si autem non est intellectio, quo pacto procedit Filius per intellectum?

Resp. negando sequelam, scilicet; concipiendum esse alium actum per modum actionis: nam in divinarum Personarum productione nulla intervenit dependentia seu imperfectio. In finitae enim sapientiae Patris, et infinito amoris Patris et Filii, immediate, ut *purus terminus* productus, respondent Filius et Spiritus Sanctus, qui cum debeant esse actus purus (ut nunc supponimus), veram dependentiam excludunt.

(1) De *Trinit.* l. 15, c. 7.

## ARTICULUS III.

## Divinarum Personarum relationes.

## THESIS IV.

In Deo sunt propriae relationes.

41. *Nota.* Relationes inter divinas existere Personas negavit Arius, ut Patrum argumentationem, qui Filii aeternitatem ex eisdem ad Patrem relatione inferebant, declinaret.

Prob. 1.º Conc. Tolet. XI, dicit in Profess. fidei: «Cum relative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam »creditur... Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; »et in hoc numero carent, quod ad se sunt.» Et in Conc. Florent. Sess. 18, ait Joannes Theologus: «Sola relatio, »apud omnes Graecos et Latinos Doctores, divina processione personarum multiplicat, ita ut, non alia ratione, quam vi relationis, una »Persona ab alia differat.» Ita et Conc. Wormatiense, quod illam Toletani doctrinam iisdem profitetur verbis.

2.º Ex SS. literis. Nam divinae personae non nisi nominibus relationem significantibus proponuntur: *Pater, Filius, Verbum, Unigenitus, Spiritus Dei, Spiritus Filii*, etc. Ideo fidem in baptismo profitendam, ut notavit Cyrillus (1), his nominibus relativis voluit Deus significari: «Quae distinctissimam nobis uniuscujusque »rei significatae propriam existentiam ostenderent... sermone unicuique rei perceptae congruum nomen distribuente... Atque ita »claram et inconfusam trium hypostaseon in propriis ac peculiari- »bus existentis servans proprietatem.»

42. 3.º Gregor. Naz. (2): «Mutuae eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit.» Athanasius (3): «Patris nomen ad solum Filium respicit, atque in eo sistit... Vox Patris simplex est, atque in divinis libris usitata, magisque veritati congruit (quam vox *non factum*), et Filium dumtaxat significat.»

43. 4.º Relativa dicuntur, quorum esse est ad aliud se habere. Atqui id convenit divinis personis, ut ex dictis patet. Confirm. ex Basilio (4). «Patris et Filii nomina solam, quam inter se habent, »habitudinem ostendunt.» Et Augustinus (5): «Pater non dicitur Pater nisi ex eo, quod est ei Filius; et Filius non dicitur nisi

(1) De SS. *Trin.* dial. 2. (n. 422, Migne).—(2) Orat. 5, theol.—(3) Or. 1. *contr. Arian.* n. 34. (4) Lib. 2, *contr. Eunom.*—(5) L. 5, de *Trin.* c. 5.

»ex eo quod habet Patrem; non secundum substantiam haec dicuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum dicuntur: neque secundum accidens; quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum atque incommutabile est eis; sed secundum relativum.»

44. 5.º Confirm. ex notis propriis relativorum: nempe, sunt simul natura ac cognitione; et dicuntur ad invicem cum conversione.

a) Sunt simul natura, seu existentia unius infert existentiam alterius. Sic ait Joannes (1): *Omnis qui negat Filium. nec Patrem habet; qui confitetur Filium. et Patrem habet.* Ut enim commentatur Cyrillus (2): «Uterque enim est per utrumque.» Et Athanasius, probans aeternitatem Filii (3): «Dicere, Filium potuisse non esse, summa certe impietas et audacia est, quae ipsam Patris naturam laessat. si nimirum id quod proprium ejus est (esse Patrem) potuerit non esse. Idem enim est ac si diceretur, Patrem potuisse non esse bonum. Verum quemadmodum et semper et natura bonus est Pater, ita semper natura est generans.» Concilium Sard. (4): «Patrem sine Filio nec nominari, nec esse posse, est ipsius Filii testimonium: *Ego in Patre et Pater in me est: Ego et Pater unum sumus.*» Et Toletan. XI. «Si Pater semper fuit, semper habuit Filium.» Gregor. Naz. (5) ait: «Si unum dejicis, audax dicam; ne duo quidem superiori loco colloces. Quae enim imperfectae deitatis utilitas?»

b) Relativa sunt simul cognitione. Hanc proprietatem convenire divinis Personis patet. Nam Christus ait (6): *Qui videt me, videt et Patrem.* S. Cyrill. Hierosolym. (7): «Patris nomen exhibet intelligendum Filium. Quemadmodum similiter Filium quis nominans, statim et Patrem intelligit. Si enim Pater, omnino Filii est Pater; et si Filius, omnino Patris est Filius.» Et Athanasius (8): «Pater ad Filium refertur, et qui Deum Patrem vocat, statim quoque Filium intelligit... Pater in solo Filio intelligitur et consistit... Necesse est enim lucem una cum splendore esse, et splendorem cum propria luce videri. Qua de causa Judaei, qui Filium cum istis negant, nec ipsi Patrem habent.» Cyrillus Alex. (9): «Si Pater scit semper se esse Patrem, semper in se ipso cognitionem de Filio habet.»

c) Relativa convertuntur: id in divinis evenit. Vide hic supra Cyrill. Hierosolym. Athanasius (10) ait: «Filius est in

(1) 1, Jo. II, 23.—(2) L. I, de Fide, ad Theodos. — (3) Orat. 3. contr. Ar. 66.—(4) Epist. ad omnes epis.—(5) Orat. 5, Theol. n. 4.—(6) Jo. XIV, 6.—(7) Cateches. 7.—(8) Orat. 2. contr. Arian.—(9) L. I, Thesaur. c. 8.—(10) Orat. 3. n. 44.

Patre et Pater in Filio.» Patet ex August. in prob. 4.º Et Epiphanius, haeres. 73, ait: «Pater Filii Pater dicitur: Filius Patris Filius dicitur: Haeret enim alterum ex altero, et non dirimitur cognationis habitus.»

#### THESIS V.

Relationes, quae Deo insunt, reales sunt, etiam secundum ultimam formalem rationem relationis.

45. Nota I.º Nonnulli DD. Scholastici, cum Guilielmo Parisiensi, licet divinas profiterentur relationes, tamen eas non esse reales putarunt. Alii, ut Cajetanus, cum aliquibus thomistis, docent; ultimam formalem rationem relationis, nempe, *esse ad*, non esse realem in Divinis.

II.º Prima pars certa est, ac catholica doctrina: quoad secundam autem, ait Suarezius de opposita Cajetani opinione: «Hanc vero sententiam existimo esse falsam.»

46. Prob. I. pars. 1.º Si relationes divinae non essent reales, sed rationis, non essent proprie relationes, sed improprie et secundum quid; quemadmodum entia rationis, non sunt proprie et simpliciter entia, sed improprie. Atqui ex thes. praec. constat, dari in divinis relationes; ergo reales existunt. Ad rem Gregor. Nysen. (1): «Cum quid argumentatur non esse proprie, funditus per se non esse demonstramus.» Et S. Cyrillus (ibid.): «Non sunt repudiandae propriae nominationes, nec aliud quid, praeterquam quod per ipsa nomina significatur, intelligendum est: sic enim evanescet haereticorum amentia.»

2.º Personae divinae distinguuntur realiter. Atqui distinguuntur per relationes; ergo relationes sunt reales. *Min.* patet ex thes. praec. prob. 1.º; verum infra confirmabitur.

3.º Personae divinae constituuntur relationibus; ut postea dicitur. Sed personae reales sunt: ergo et relationes.» Nulla res, ait S. Thomas (2), constituitur nisi per rem.»

47. Pars. II. prob. 1.º Illa ratio, *esse ad*, constituit formaliter relationem: sed nihil potest esse proprie et realiter aliquid, nisi ejus rei habeat realiter formalem et constitutivam rationem; ergo relationes reales divinae sunt etiam reales, secundum *esse ad*.

*Maj.* constat ex communi consensu. Accepta est enim illa relationis Aristotelica definitio: «Sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid se habere.» Et Basilius (3): «Quaecumque

(1) Apud Cyparisiot. Decad. 4, c. 9.—(2) Q. 8, de Potent. 1, a.—(3) L. 2, cont. Eunom.

»ad alia dicuntur, haec ad ea quae dicuntur, habitudinem solum ostendere.» *Min.* est etiam evidens: quomodo potest ens aliquid realiter et vere esse homo, si formalis ultima ratio hominis non sit realis?

48. 2.° Esse Patrem, est formaliter se habere ad Filium, et è converso; esse Filium, est se habere ad Patrem: idem dicas de Spiratore et Spirato. Si ergo relationes, secundum *esse ad*, in divinis non sunt reales, sed rationis; Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt formaliter entia rationis, non vero personae reales.

3.° Ex communi effato Theologorum, «in divinis omnia sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio:» sed relationis oppositio nihil aliud est, nisi ejus *esse ad*; ergo si *esse ad* est ens rationis, nihil obviat unitati et identitati Personarum nisi oppositio rationis, ideoque nequeunt realiter distingui.

Ex his patet, mitissime dixisse Suarezium, oppositam opinionem esse *falsam*: Ruizius è Montoya ait, esse *periculosam* et *errori proximam*. Ut enim ait D. Thomas (1): «Sententiam fidei sequentes oportet dicere, in divinis relationes esse reales.» Quis autem intelligat esse reales, si secundum suam formalissimam rationem sint ens rationis?

49. Objic. 1.° D. Thomas (2) ait: «Relatio, in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quot sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis; vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis.» Ergo nulla relatio, neque divina, est realis secundum illam propriam rationem *esse ad*.

Resp. Multae sunt sententiae de sensu horum D. Thomae verborum. Dico ergo 1.° permitto *ant.* et nego *consequens* ac *consequentiam*. Verum, quo sensu verba intelligenda sunt, ut falsitas eluceat *consequentiae*, supposita sententiae veritate?

50. Resp. 2.° Sensus igitur est, quod illa formalis ratio, *esse ad*, non exigit necessario esse aliquid reale, sed praescindit ita, ut possit quid reale esse, vel non. Quando autem erit quid reale, vel quid rationis? Duplicem regulam tradit ipse D. Thomas (3).

a) Quando respectus, seu *esse ad*, est in ipsa rerum natura, tunc relatio secundum *propriam rationem* est realis. Jam vero, hoc accidit, ait, in divinis. Quando vero respectus, *esse ad*, est *tantum* in ipsa apprehensione rationis, tunc relatio est rationis tantum.

b) Cum respectus, id est, *esse ad*, desumitur per comparisonem ad illud *cui* inest relatio, tunc erit realis, si fundamentum sit reale. Si autem respectus accipiatur unice per comparisonem *ad alterum*,

(1) Q. 8, de *Potent.* a. 1.—(2) Q. 2, *ibid.* a. 5.—(3) P. 1, q. 28, a. 1.

tunc non erit realis in subjecto, sed mere assistens, extrinseca, affixa, ideoque concepta ut inhaerens: sic columna dicitur esse in dextera, quin hic respectus aliquid in illa supponat. Talis non est respectus seu *esse ad* divinarum relationum.

51. Inst. Illam tradit D. Thomas doctrinam, ut ostendat, quod, quamvis non habeat Filius Paternitatem, tamen non habet Pater *aliquid* quod Filius non habeat. Ergo revera putat Paternitatem, in quantum est relatio, esse nihil.

Resp. Dist. *ant.* Quod non habet Pater *aliquid absolutum* et reale, quod non habeat Filius; conc. Quod non habeat Pater *aliquid relativum (ad aliquid)* reale, quod Filius non habeat; nego. Non enim hoc, sed illud volebat S. Doctor probare; quod non distinguentes aliqui hallucinati sunt interpretes, et illi falsam omnino imputarunt doctrinam, quam apertissime in utraque Summa reprobatur. «Sunt plures res subsistentes (divinae Personae), si relationes considerentur: est autem una res subsistens, si consideretur essentia» (1). «Ea quae dicuntur ad aliquid, significant secundum *propriam rationem* solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa rerum natura... Aliquando vero est tantum in ipsa apprehensione rationis... Necesse est quod relationes in divinis sint reales,» scilicet, secundum propriam rationem *ad aliud* (2).

52. Objic. 2.° Relationes divinae sunt ad modum principii. Sed ejusmodi nequeunt esse reales, ut patet in relatione Dei ad creaturas: ergo neque illae. Resp. negando *minorem* et paritatem. Disparitas est quod Deus et creaturae non sunt ejusdem ordinis, sed infinite distantes, et ideo nequeunt in eadem relatione cum Deo illae convenire.

Objic. 3.° Relatio quae resultat in objecto cognito ad intellectum, est rationis tantum: ergo a pari relatio Verbi ad Patrem.

Resp. nego *consequentiam*. Nam Verbum divinum non respicit intellectum divinum, quasi objectum cognitum tantum, sed etiam ut terminus productus: jam vero quivis terminus productionis a principio procedit producente, non autem objectum cognitum procedit a cognoscente.

#### THESIS VI.

Spiratio activa, seu relatio principii producentis Spiritum Sanctum, est relatio realis.

53. Nota: nonnulli theologi dubitarunt; at adeo communis, cer-

(1) *Contr. Gent.* l. 4, c. 14, ad 5.—(2) P. 1, q. 28, a. 1.

taque est haec propositio, ut eam negare temerarium esset ac periculosum.

Prob. 1.<sup>o</sup> Conc. Tolet. XI, in *profess. fidei*. «Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt.» Atqui realiter distinguuntur seu numerum faciunt Pater et Filius spirantes, et Spiritus Sanctus spiratus: ergo et realem relationem Pater et Filius habent ad Sp. Sanctum. Iisdem Toletani verbis fidem suam professa est Synod. Wormatiensis.

2.<sup>o</sup> Augustinus (1) ait: «Ipsa relatio apparet, cum dicitur »(Sp. Sanctus) donum Dei. Donum enim est Patris et Filii, qui et »a Patre procedit, et... Donum ergo Donatoris et Donator Doni cum »dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus.» Unde inferes: relatio inter Sp. Sanctum et Spiratorem est mutua, et fundatur in processione reali. Sed relatio spirationis passivae est certe realis; ergo et spiratio activa. Gregor. Naz. (2): «Spiritui S., »inquiunt, quid deest, ad hoc ut sit Filius?... Deesse nihil dicimus. »Non enim Deo quidquam deesse potest. Verum manifestationis, »ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa »quoque illa nomina procreavit.» Si ergo relatio existit mutua, realis est ex utroque extremo.

Boetius (3) quoque: «Similis est in Trinitate relatio Patris ad »Filius, et utriusque ad Spiritum Sanctum.»

54. 3.<sup>o</sup> Pater et Filius sunt principium Sp. Sancti, ut fides docet. Ergo non est minor ratio ut realiter referantur ad eundem, quam ut Pater referatur ad Filium.

Confirm. ex ratione a D. Thoma, (4). Inter principium et terminum realiter procedentem a principio mutua et realis est relatio, quando in eodem ordine existunt. Atqui Pater et Filius sunt reale principium Sp. Sancti, et sunt in eodem ordine, id est, in eadem natura: ergo ad Sp. Sanctum realiter referuntur.

Objic. 1.<sup>o</sup> Augustinus ait (5): «Relatio Sp. Sancti non ita »reciproca ratione converti poterit, sicut Pater et Filius.» Ergo non est realiter mutua.

Resp. Dist. seu explicio Augustini dictum: Non potest converti cum relatione Paternitatis et Filiationis; conc. Cum relatione Spiratoris, seu Donatoris; nego. Hoc sensu loquitur Augustinus, ut ex contextu patet.

Objic. 2.<sup>o</sup> Non potest persona per unam relationem constituta, iterum referri per aliam relationem realem; ut docet D. Thomas (6). Sed Spiratio activa supponit Patrem et Filium in sua relatione constitutos: ergo non potest realiter iterum referri.

(1) *De Trin.* l. 5, c. 11.—(2) *Orat.* 5, theol. n. 9.—(3) *De Trin.* ad finem.—(4) Q. 28, a. 4.—(5) *Sermo* 38, de temp.—(6) Q. 42, a. 1, ad 4.

Resp. dist. *maj.* Per aliam relationem ejusdem rationis, conc. Diversae rationis; nego. In hoc sensu loquitur D. Th.; sequeretur enim processus in infinitum.

### THESIS VII.

Spiratio activa non est relatio realiter distincta a Paternitate et Filiatione: unde licet sint in Deo quatuor relationes reales, solum tres sunt realiter distinctae.

55. *Nota:* haec est communis inter Theologos sententia, adversus aliquos antiquiores, cum Durando, etc.

Prob. 1.<sup>o</sup> Concil. Later. cap. *Damnamus*, absolute reprobatur dari *quaternitatem*: «In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.»

2.<sup>o</sup> Si Spiratio activa esset realiter distincta a Paternitate et Filiatione, esset etiam subsistens sicut istae; non enim est accidens: ergo esset quarta Persona, quod patet esse contra fidem.

3.<sup>o</sup> Ex communi Patrum et theologorum axiomate, «solum oppositio relativa est ratio distinctionis:» sed non opponitur Spiratio activa Paternitati et Filiationi; non enim ab iis procedit: ergo realiter distingui nequeunt.

56. 4.<sup>o</sup> Si Spiratio distinguitur realiter a Patre et Filio, nequeunt esse idem in spirando: nam repugnat realiter identificari in tertio ab utroque distincto. Sed, ut ait Augustinus (1): «Filius est »hoc omnino quod Pater, non tamen Pater;» ideoque sunt omnino idem in spirando: ergo relatio Spirationis cum Patre et Filio realiter identificatur.

5.<sup>o</sup> Ex absurdo. Sequeretur Patrem esse realiter compositum; similiter et Filium: imo et esse quoddam compositum accidentale et incompletum. Nam accederet illa relatio Spirationis ad personas, seu substantias in subsistendo completas, ut possent referri ad Sp. Sanctum; ideoque ad modum accidentis.

57. Objic. 1.<sup>o</sup> Quae uni tertio identificantur, sunt idem inter se: si ergo Paternitas et Filiatione sunt idem realiter cum Spiratione activa, sunt idem realiter inter se; quod est haereticum.

Resp. Haec difficultas pariter opponitur identitati reali divinarum Personarum cum essentia; infra igitur de illa agemus. Nunc dicere sufficiat cum Suarez (2): «Spirationem distingui virtute »solum a Paternitate; actuale vero distinctionem inter illas ratione compleri.» Unde principium illud: *Quae uni tertio...* valet in

(1) *De Trin.* l. 15, c. 14.—(2) *De Trin.* l. 5, c. 5, n. 6.

iis, quae identificantur actu et virtute realiter; non autem si virtute distinguantur.

58. Objic. 2.<sup>o</sup> Nequeunt esse realiter idem relationes quae habent terminos realiter distinctos. Sed Spiratio terminatur ad terminum realiter distinctum a termino Paternitatis et Filiationis: ergo non potest illa his identificari.

Resp. dist. *maj.* Nequeunt esse idem adaequate, seu tum ratione fundamenti et subjecti, tum ratione terminorum; conc. *maj.* Nequeunt esse idem in se, seu ut sunt res quaedam: nego. Sicut enim in simplici cogitatione est respectus ad Deum ut primam causam, ad intellectum ut causam secundam, et ad objectum ut cognitum; ita in simplici Spiratione, quae est ipsa Paternitas et Filiatio, sunt plures respectus. Maxime cum relatio divina sit quid eminens et infinitum, potest, ut una et simplex res, plures respicere terminos formaliter distinctos.

59. Objic. 3.<sup>o</sup> Personalitates, quia identificantur cum essentia, non efficiunt quaternitatem sed solum Trinitatem: ergo a pari, quia Paternitas et Filiatio idem sunt cum Spiratione activa, non datur quaternitas relationum realium divinarum, sed trinitas tantum: ideoque haec thesis praecedenti opponitur.

Resp. conc. *ant.* et nego *consequentiam*, et paritatem. Nam Spiratio habet terminum realiter distinctum, tum a termino Paternitatis, tum a termino Filiationis: licet ergo non constituat cum illis relationem realiter distinctam, seu quaternitatem absolute, constituit tamen aliam relationem realem; distinctam virtualiter, ut res, et realiter quoad terminum.

60. Objic. 4.<sup>o</sup> Paternitas et Filiatio sunt principium seu origo Spirationis activae: ergo debent distingui realiter ab illa.

Resp. dist. *ant.* Sunt principium per modum productionis; nego. Quatenus opus est ut relative subsistant Pater et Filius, seu ut sit Paternitas et Filiatio ad active Spirandum, sunt principium; conc. Spiratio activa, vel est simul cum Paternitate et Filiatione, in Patre ex ipsa perfectione essentiae, in Filio ex ejusdem communicatione; vel resultat in Patre et Filio ex oppositione ad Spirationem passivam; non tamen est producta, sed immediate fundata in actu infiniti amoris, cujus fecunditate, Spiritum Sanctum seu spirationem passivam producunt Pater et Filius.

## CAPUT II.

## De Divinitate et Unitate Divinarum Personarum.

## ARTICULUS I.

## Divinitas trium Personarum.

## THESIS VIII.

Pater seu prima Trinitatis Persona est verus Deus.

51. Nota. Licet haeretici divinitatem Patris non fuerint directe inficiati, tamen hujusce dogmatis probationes nonnullas innuemus.

Prob. 1.<sup>o</sup> Ex omnibus fidei Symbolis: «Credo in Deum Patrem »omnipotentem, creatorem coeli et terrae...»

2.<sup>o</sup> Ait Christus (1): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Et Petrus (2): *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum... quem suscitavit a mortuis.* Et Paulus (3): *Benedictus Deus et Pater Domini N. J. C., qui benedixit nos in omni benedictione..., elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti...; qui praedestinavit nos...*

52. 3.<sup>o</sup> Athanasius (4): «Age igitur, quae ad Patrem pertinent inspiciamus... Aeternus est Pater, immortalis, potens, lux, »rex, omnipotens, Deus, Dominus, creator et effector.» Irenaeus (5): «Unus igitur et idem Deus, qui plicat coelum quemadmodum librum... qui temporalia fecit propter hominem, ut maturarescens in eis fructificet immortalitatem... qui a lege et prophetis »annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est. Ipse est autem fabricator, et ipse est, qui super omnia est Deus.»

53. Objic. 1.<sup>o</sup> Pater nunc non regnat, et Filius non est ei subiectus, ut docet Apostolus (6). Ergo non est Deus.

Resp. Dist. seu explico. Non regnat, quatenus Regnum Christi completum non est, ideoque subiectione voluntaria homines Patri adhuc non subjiciuntur; conc. Quasi Pater potestate plena careat in omnes, etiam reluctantes; nego *ant.*

(1) Jo. XX, 17. — (2) Act. III, 13, 15. — (3) Ephes. I, 3-5. — (4) Orat. I contra Arian. n. 21. — (5) Contr. haeres. l. 4, c. 5. (Migne.) — (6) 1 Cor. XV, 24-28.